

2. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. Curioni.

Si ea, quæ tibi vendidit possessiones interposito decreto præsidis, ætatis tantummodo auxilio juvatur, non est dubium fidejussorem ex persona sua obnoxium² esse contractui: verum si dolo³ malo apparuerit contractum interpositum esse: manifesti juris est, utrique personæ, tam venditricis, quam fidejussoris consulendum esse. — S. 6 kal. Maji, Diocletiano 2 et Maximiano AA. Conss. 287.

TIT. XXV.

SI TUTOR VEL CURATOR INTERVENERIT.

1. Imp. Antoninus A. Martiane et aliis.

Si jam puberes utriusque sexus parentum hereditatem adistis; si etiam nunc in ea ætate estis, ut, eo quod paternæ hereditati vos obligastis, in integrum restitutionis auxilium accipere debeatis: per procuratores⁴ vestros adite præsidem provinciæ. Quod si legitimam ætatem implestis, idque tempus² quo in integrum restitui potestis, excessistis, curatores vestros, si adversus eos nondum experti estis, iudicio secundum formam juris convenite. — P. P. 2 non. april. Leto et Cereali Conss. 246.

2. Imp. Alex. A. Martiane.

Minoribus annis vigintiquinque etiam in his³, quæ presentibus tutoribus, vel curatoribus, in iudicio, vel extra iudicium gesta fuerint, in integrum restitutionis auxilium superesse, si circumventi sunt, placuit. — P. P. 3 non. Mart. Maximo 2 et Eliano Conss. 224.

3. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. Nicomedi.

Etiam in his quæ minorum tutores vel curatores male⁴ gessisse probari possunt: licet personali actione a tutore vel curatore [eius] sum consequi possint, in integrum tamen restitutionis auxilium eidem minoribus dari jam pridem placuit. — Dat. 4 non. Maji, Maximo et Aquilino Conss. 286.

4. Idem, AA. et CC. Isidoro.

Si creditor non vestram personam, sed curatorum secutus, cum ipsis contractum habuit, et ab ipsis stipulatus est: nullam ei prorsus adversus vos actionem competere manifestum est. — 5 kal. Maji, Heraclie, AA. Conss. 293.

5. Idem, AA. et CC. Valentino.

Etiam tutoribus vel curatoribus distrahentibus, vel aliis contrahentibus, minores tam restitui rebus propriis, quam tutorum vel curatorum damna sequi, nullo eis præiudicio per electionem generando, placuit. — 6 id. decemb. CC. Conss. 294.

TIT. XXVI.

SI [IN] COMMUNI EADEMQUE CAUSA IN INTEGRUM RESTITUTIO POSTULETUR.

1. Imp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Aphobio et aliis.

Nec si major vigintiquinque annis soror vestra fuit, vobis non mandantibus, nec ratam transactionem habentibus, de jure vestro quoquam minuire potuit. Nam si cognitis, quæ gessit, his consensus post vigintiquinque annos [ætatis]¹ commodastis: quamvis illa minor pro portione sua restitutionis auxilium implorare possit: vobis tamen, ad communicandum elicti perpetui beneficium, ejus ætas patrocinari² non potest. — S. 3 idus August. CC. Conss. 294.

TIT. XXVII.

SI ADVERSUS REM JUDICATAM⁴ [RESTITUTIO POSTULETUR.]

1. Imp. Alexand. A. Villis.

Minus ex tutelæ iudicio consecuti, de superfluo habere actionem ita

2. L. 35, D. de recept. qui arbit. — 3. L. 7, § 1, D. de except. adde L. 89, D. de adquir. vel onit. hered. — L. 48, § 1, D. de fidejuss. — L. 95, § 3, D. de solutionib.
TIT. XXV. — 1. L. 28, § 1, D. de minor. — 2. L. 4, sup. de in integr. restit. — 3. L. 4, infr. si adv. rem judic. — L. ult. D. de in integr. restit. — L. 29, L. 47, D. de minorib. — 4. L. 2, sup. h. t. adde L. 47, D. de minorib.
TIT. XXVI. — 1. Immo vide L. 3, § 2, D. de minor. — 2. L. 47, § 1, D. d. l.
TIT. XXVII. — 1. L. 7, § 1; L. 29, L. 36, D. de minor. — 2. L. 5, in fin. D. de probat.

potestis, si tempore iudicii minores annis fuistis, et nunc beneficium ætatis vobis largitur: ceterum, si post legitimam ætatem sententia prolata est, iterato eandem actionem de eisdem speciebus inferre non potestis. — P. P. 8 kal. febr. Pompeiano et Peligio Conss.

2. Imp. Gord. A. Serenæ.

Si cum pater tuus te in sua potestate esse, minimeque emancipationem² a se factam valere diceret, proconsul super causa cognoscens, te ejus potestati subjectam pronunciaverit: cum adversus eam sententiam in integrum restitui postules: is, qui provinciam regit, in impertienda cognitione suas partes secundum leges exhibebit. — P. P. 18 kal. dec. Ulp. et Pontiano Conss. 239.

3. Imp. Philippus A. et Philippus C. Ælianæ.

Adversus sententiam ejus, qui tunc vice³ principis iudicavit, in integrum restitutionis auxilium apud prætorem seu præsidem provinciæ clarissimum virum flagitare nequaquam poteris: nam adversus ejus sententiam, qui vice principis cognovit, solus princeps restituet. — P. P. 18 kal. novemb. Philippo A. et Titiano Conss. 246.

4. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. Urbino et aliis.

Cum et minores vos esse affirmetis, et indefensos, nullum vobis præiudicium fieri præses provinciæ pro sua gravitate curabit. Nam si iusta defensione tutorum, vel curatorum vobis assistente⁴, aliquid statutum est: intelligitis in integrum restitutionis auxilium vobis esse necessarium: eodem obtinente, etiamsi per procuratorem⁵ vestrum legitime ordinatum lis agitata est. — Dat. 16 kalend. Maji, Maximo et Aquil. Conss. 286.

5. Idem, AA. et CC. Martiano.

In rem pupilli, vel adulti contra tutores seu curatores a præside lata sententia, restitutionis auxilium non minus, quam si quid adversus eos fuisset statutum, implorare minores posse constat. — Dat. 10 kal. nov. AA. Conss. 293.

TIT. XXVIII.

SI ADVERSUS VENDITIONEM¹.

1. Imp. Alex. A. Florentino militi.

Si minor² annis vigintiquinque emptori prædii cavisti nullam de cætero te esse controversiam facturum, idque etiam iurejurando³ corporaliter præstito servare confirmasti, neque perdidisti, neque perjuri me auctorem [tibi] futurum sperare debuisti. — Dat. 6 kalend. septemb.⁴

Nova constitutio Frederici⁴.

Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur. Per vim autem, vel per justum metum extorta etiam a majoribus, (maxime ne querimoniam malefactorum commissorum faciant) nullius esse momenti jubemus.

2. Imp. Constant., [Constantius, Constans AAA.] ad populum.

In integrum restitutione minoribus adversus commentitias⁵ venditiones, et adversus tutorum [seu curatorum] insidias, sanctorum præsidio cautum esse non dubium est. — Dat. id. August. Sirmii, Constantino 2 et Constante CC. Conss. 339.

TIT. XXIX.

SI ADVERSUS VENDITIONEM PIGNORUM.

1. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Sabinæ et aliis.

Etiam adversus venditiones pignorum, quæ a creditoribus¹ sunt, minoribus subveniri, (si tamen magno detrimento afficiantur) jam pridem placuit: si igitur pignori captis prædiis, ac distractis, enorme damnum ex hujusmodi venditione passus vos ostenderitis; præsertim cum hodie minores vos esse affirmetis, auxilium restitutionis vobis impertietur. — Dat. 10 kalend. decemb. Sirmii, ipsis AA. Conss. 293.

2. Idem, AA. et CC. Severæ et Clementinæ.

Rem, quam a patre² vestro quondam creditor ejus obligatam sibi dis-

— 3. L. 19, § 3, § 4, D. de minor. adde L. 16, in fin.; L. 17, D. eod. — 4. L. 2, sup. si tut. vel curat. interv. — 5. L. 25, D. de minor.
TIT. XXVIII. — 1. L. 11, § 4; L. 27, § 1; L. 55, L. 58, D. de minor. adde L. 1, § 13, D. si quid in fraudem patroni. — 2. L. 27, § 1, vers. item ex diverso, D. de minor. — 3. L. 3, infr. si minor se major. — 4. 2 Feud. 35, § fin. — 5. L. 7, § 8, D. de minor.
TIT. XXIX. — 1. Adde L. 4, infr. de reb. alien. nov. alien.; L. 2, in fin. infr. de pred. et aliis reb. min. — 2. L. 1, § 2, D. de reb. cor. qui sub tut.

TIT. XXXII.

SI ADVERSUS TRANSACTIONEM VEL DIVISIONEM [IN INTEGRUM MINOR RESTITUI VELIT.]

1. Imp. Severus et Antoninus AA. Antonio.

Cum in integrum pupilla restituta, rescindi transactionem¹ vel divisionem² placuit: tu quoque actionibus, quas pridem habuisti, uteris. — P. P. 18 kal. april. Sirmii, AA. Conss. 295.

2. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Hymnodæ.

Si ex persona minorum in integrum restitutum adversus transactum propter ætatis auxilium impleret: tibi quoque agenti ex integro vel replicatione contra exceptionem pacti, vel si peremptam esse constet, pristinam obligationem ex instauratione negotii tributa [tibi] actione consulendum est. — Dat. kal. dec. AA. Conss. 303.

TIT. XXXIII.

SI ADVERSUS SOLUTIONEM¹ A TUTORE VEL A SE FACTAM.

1. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Sotericæ.

Exemplo cæterorum debitorum tutores etiam, quæ ex administratione tutelæ debent, curatoribus solventes liberantur: sed ante tempus in integrum restitutionis præstitutum edicto perpetuo permissum beneficium implorari, et an sit tribuendum, per causæ cognitionem æstimari² potest. — Dat. 6 id. febr. CC. Conss. 294.

2. Idem, AA. et CC. Laurinæ.

Indebito legato³, licet per errorem juris a minore soluto repetitionem ei decerni: si necdum tempus, quo restitutionis tribuitur auxilium, excesserit, rationis est. — Dat. 18 kal. april. Sirmii, CC. Conss. 294.

TIT. XXXIV.

SI ADVERSUS DOTE M.

1. Imp. Alex. A. Valentii.

Quoniam circumventam dicis sororem tuam omnia bona¹ in dotem dedisse: an veritas allegationi [tuæ] adstiat; si ad te hereditas² sororis tuæ, vel bonorum possessio pertinuit, et tempora nondum præterierint, intra quæ legibus conceditur ex persona defuncti postulare in integrum³ restitutionem; præses provinciæ, præsentæ adversa parte examinabit. — Dat. 6 id. Jul. Maximo et Paterno Conss. 234.

TIT. XXXV.

SI ADVERSUS DELICTUM.

1. Imp. Severus et Antoninus AA. Longino.

In criminibus quidem ætatis suffragio minores¹ non juvantur: etenim malorum mores infirmitas animi non excusat. Si tamen delictum non ex animo, sed extra venit: noxia non committitur, etiam si poenæ causa pecuniæ damnum irrogetur: et ideo minoribus in hac causa in integrum restitutionis auxilium competit. — Dat. id. octob. Severo A. 2 et Victorino Conss. 204.

2. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Proculæ.

Licet in delictis ætate neminem excusari constet: matri tamen, quæ filiis tutorem ætatis lubrico lapsa non petiit, eorum minime denegari successionem convenit: cum hoc in majoribus matribus tantum obtineat. — 5 nonas Mart. CC. 294.

TIT. XXX.

SI ADVERSUS DONATIONEM.

1. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. Theodoræ.

Si quæ res ante nuptias congruenti¹ moderatione a minore annis vigintiquinque marito sponsaliorum tempore, etiam curatore præsentæ, tibi donatæ sunt: obtentu ætatis non revocabuntur. — S. 3 non. novemb. Diocletiano et Aristobolo Conss. 285.

2. Idem, AA. et CC. Medæ.

Si in te ac fratrem tuum emancipatos pater vester donationem fecit: in alium postea transferendo portionem ejus, nihil vobis abstulit: nec si frater tuus [sibi] quesiti prædii² rustici partem donanti patri consensit, dominium ab eo discedere potuit propter senatusconsulti auctoritatem: nec auxilium in integrum restitutionis hæc in re necessarium est. In aliis vero rebus quæ etiam sine decreti recitatione alienari possunt: si, postquam sibi donatæ fuerint, postea alii donanti eandem patri voluntatem in minori ætate commodavit, nec præstituta tempora restitutionis excessit: hoc auxilium implorare potest. — Dat. 8 kal. januar. AA. Conss. 293.

TIT. XXXI.

SI ADVERSUS LIBERTATE M.

1. Imp. Severus et Antoninus AA. Hamniæ.

Si post decretum prætoris viri clarissimi, qui fideicommissariam libertatem debere pronunciavit, Secundus, (quem conditioni non paruisse conqueris) manumissus non est, ætas tualitis instaurationem admittit. Quod si¹ libertatem (quamvis indebitam) dedisti, non posse eam revocari intelligis: sed damnus², quod ob eam causam illatum est iudicio negotiorum gestorum a curatoribus tuis esse sarcendum. — P. P. 2 kalend. Jul. Laterano et Rufino Conss. 198.

2. Imp. Gord. A. Solanæ.

Etsi minor viginti annis, ut allegas, constituta, servum tuum ab eo circumscripta, in consilio manumisisti: tamen vindictæ impositio, qua libertas justa munitur, nec obtentu quidem ætatis rescindi potest, indemnitas³ vero tuæ a manumisso, scilicet sarcienda, ab eo, cujus iudicatio est, quatenus juris ratio permittit, consuli debet. — P. P. 6 id. Mart. Gordiano A. 2 et Pompeiano Conss. 242.

3. Imp. Valer. et Gallien. AA. Marthone et Sabinillæ.

Quos retrahi in servitutem postulatis, si non in concilio causa cognita, cum minores annis viginti fuissetis, manumisistis, non per in integrum restitutionem, sed ipso⁴ jure persequi potestis. Quod si probata causa, libertas præstita est: restituito in integrum contra libertatem locum habere non potest. Si tamen in ea re, culpa seu fraude liberti, ejusdemque curatoris ratio vestra læsa sit: sarciri⁵ damnus ab eo, qui hoc intulit, præses provinciæ curabit, non dubitaturus etiam graviorem executionem adhibere, si quid tam aperta fraude commissum est, ut puniendum in liberto crimen deprehendatur. — P. P. 8 octob. Seculare 2 et Donato Conss. 264.

4. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Tatiano.

In iudicio de liberali causa sententiam pro libertate latam, ne quidem prærogativa minoris ætatis sine appellatione⁶ posse rescindi, ambigi non potest. — Dat. 6 id. Jan. ipsis AA. 3 et 4 Conss. 295.

TIT. XXX. — 1. L. 4, infr. de prædit. et aliis reb. minor.; L. 12, § 5, D. de admin. et perit. — 2. Infr. de pred. et aliis reb. min.
TIT. XXXI. — 1. L. 11, § 1, vers. item quesit. L. 35, D. de minor. — 2. L. 2, L. 5, infr. h. t.; L. 48, § 1, D. de minor. — 3. L. 1, sup. h. t. — 4. L. 2, infr. in quib. caus. restit. — 5. L. 1, in fin. sup. h. t. — 6. L. 19, infr. de appell.
TIT. XXXII. — 1. L. 96, § 2, D. de solut. — 2. L. penult. infr. communi div.; L. 17, infr.

de pred. et aliis reb. minor.
TIT. XXXIII. — 1. L. 98, § 2, D. de solut. — 2. L. 11, § 3; L. 24, § 1; L. 44, D. de minor. — 3. L. 25, D. d. t.
TIT. XXXIV. — 1. L. 3, § 2; L. 9, § 1, D. de minor.; L. 45, § 1, D. de admin. et perit. — 2. Vide enim L. 18, in fin. D. de minor. — 3. L. 3, L. 4, sup. de rest. in integ.
TIT. XXXV. — 1. L. 2, infr. h. t.; L. 57, D. de minor.; L. 56, D. ad leg. Jul. de adult.

TIT. XXXVI.

SI ADVERSUS USUCAPIONEM.

1. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Isidoræ.

Contra eos, qui res minorum tenent, si usucapione dominium adquisierint, restitutionis auxilium eis decerni debet. — Dat. kal. Maji, Sirmii, CC. Conss. 294.

TIT. XXXVII.

SI ADVERSUS FISCUM.

1. Imp. Severus et Antoninus AA. Longino.

Si Probus in minore etate constitutus, circumventus a Rufino dispensatore nostro, venditionem rei, præcipiti animo, pretio longe minore contrahere festinavit: juris publici fiscus noster in integrum restitutionis jure sequetur auctoritatem. — Dat. Severo A. 2 et Victorino Conss. 201.

2. Imp. Alexand. A. Antiocho et aliis.

Si adversus privatos in integrum restitutionem, tam tu quam fratres tui desideratis: præsidis provinciæ, viri clarissimi notio est: isque cognita causa æstimabit, an auxilium, quod imploratis, conferri vobis debeat. Quod si adversus fiscum id postulatis, intelligitis, procuratorem meum, una cum præside, præsentem fisci patrono, adire vos debere. — Dat. kal. August. Alexand. A. 2 et Marcello Conss. 227.

3. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Laurentio.

Edicto quidem D. Marci parentis nostri res minorum exceptæ, nihil tuum adjuvant desiderium: siquidem debiti causa patris minoris, vel etiam ipsius prædia venundata quinquenniis præscriptionis nullam admittunt quætionem. Sed quoniam per collusionem sive fraudem, tunc temporis procuratoris nostri nimis exiguo pretio fundum tuum cum mancipiis venundatum asseveras: si aditus rationalis noster tuis adesse fidem allegationibus, nec servatam solemnitate hastarum animadvertit: fisco te satisfaciende, revocata venditione fundum tibi restitui jubebit. — Dat. id. feb. Sirmii, CC. Conss. 294.

TIT. XXXVIII.

SI ADVERSUS CREDITOREM.

1. Imp. Antoninus Pius A. Prunico.

Cum et ipse profiteris, cum Zenodora minore vigintiquinque annis [te] contraxisse, nec doceri potuisse prætorem virum clarissimum ex eo contractu locupletiore[m] [eam esse] factam: intelligis eam merito in integrum restitutam. — Dat. 6 non. Aug. Largo et Messalino Conss. 148.

2. Imp. Gord. A. Cajano.

Si (ut allegas) minor annis pecuniam fœnori accepisti, nec ea in rem tuam versa est, adversus cautionem, per quam eo nomine te obligasti, in integrum restitutionis auxilium potes solemniter postulare. — P. P. 3 non. febr. Gord. A. 2 Conss. 242.

TIT. XXXIX.

SI MINOR AB HEREDITATE SE ABSTINEAT.

1. Imp. Sever. et Antonin. AA. Florentino et aliis.

Si vos paternæ hereditati non immiscuistis: ob eam rem testificatio necessaria non fuit, cum fides veritatis verborum adminicula non desideret. Quod si pro herede gessistis, vel bonorum possessionem accepistis; propter ætatem, cui subveniri solet, in integrum restitutionis auxilium accipere debetis. — P. P. 6 nonas Maji, Saturnino et Gallo Conss. 199.

TIT. XXXVI. — 1. L. 45, pr. D. de minorib.; L. 48, pr. D. de acquir. rer. dom. adde L. ult. inf. in quib. caus. in integ.; L. 5, in fin. inf. de prescript. 30 vel 40 annor. — Tit. XXXVII. — 1. Adde L. 45, in fin. D. de jure fisci. — 2. L. 1, L. 8, inf. de rescind. vend. — 3. L. 7, D. de jure fisci — 4. Abrog. 2 ult. Inst. de usucap. tot. tit. inf. de quæst. prescript. — 5. L. 5, inf. si venditio pign. — 6. Inf. de fide et jure hæte. — Tit. XXXVIII. — 1. L. 2, inf. h. l.; L. 24, § 4; L. 27, § 1, D. de minor. — 2. L. 1, supr. h. tit. — Tit. XXXIX. — 1. Adde L. 3, § 2, D. de minor. — 2. L. 7, § 2, D. d. t. — 3. Arg. L. 30,

In Authent. ut spon. larg. § ad hæc quoque, coll. 9, constit. 14, tit. 2, seu Novell. 119, cap. 6.

Si omnes creditores presentes sunt, ubi restituito postulatur, a giudice vocentur: ut intersint, cum minor se abstineat: sed si omnes absint, vel quidam, solemniter a giudice cœntur: quibus intra tres menses non apparentibus, minor sine periculo ab hereditate discedat: a giudice providente, ubi et qualiter res hereditariæ debeant custodiri, quantitate earum in actis manifestanda.

2. Imp. Gordianus A. Herodotæ.

Si, cum avi tui testamento te heredem reliquissent, hereditates eorum non adisti: liberum tibi est, repudiata paterna successione, per in integrum restitutionis auxilium (quo te ætatis jure dicis esse munitam) hereditatem parentum tuorum (licet antea non adisti) nunc obtinere. — P. P. 3 nonas febr. Gordiano A. 2 et Pompeiano Conss. 242.

TIT. XL.

SI UT OMISSAM HEREDITATEM VEL BONORUM POSSESSIONEM, VEL QUID ALIUD ACQUIRAT.

1. Imp. Gordianus A. Protæ.

Minores vigintiquinque annis non tantum in his, quæ ex bonis propriis amiserunt, verumetiam si hereditatem sibi delatam non adierint, posse in integrum restitutionis auxilium postulare, jamdudum placuit. — P. P. id. oct. Ulpio et Pontiano Conss. 259.

2. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Sarapiadi.

Ad bonorum possessionem in paternis rebus omissam minores in integrum restitutionis admitti beneficio jampridem placuit. Restituti autem decreto, bona quæ habuerunt mortis tempore patris, debent conferre [fratribus]. — Dat. 16 kal. nov. Sirmii, CC. Conss. 294.

TIT. XLI.

IN QUIBUS CAUSIS IN INTEGRUM RESTITUTIO NECESSARIA NON EST.

1. Imp. Alexand. A. Mutato.

Minoribus vigintiquinque annis (præsertim qui per tutores et curatores non defenduntur) non obesse, si mortem defuncti parentis non ulciscantur, in numeris divorum parentum meorum ac meis rescriptis continetur. — 5 idus Maji, Alexandro A. 3 et Dione Conss. 250.

2. Imp. Valerian. et Gallien. AA. Theodora.

Adolescentiæ tempus non imputari in id quinquenniis liberis, cujus præscriptio seram inofficiosi quætionem moventibus opponi solet, manifeste ante descripsimus. Impleta igitur ætate legitima, non est in integrum restituito necessaria: quia non redintegratio amissæ causæ his datur, sed integra ipsa causa servatur. — P. P. 2 id. August. Tusco et Basso Conss. 259.

3. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Decimo.

In minorum persona re ipsa, [et] ex solo tempore tardæ pretii solutionis, recepto jure moram fieri creditum est: in his videlicet, que moram desiderant, id est, in bonæ fidei contractibus, et fideicommissis, et legatis.

4. Idem, AA. et CC. Stratonice.

Si tutor tuus, qui pro tutelari officio non caverat, judicio expertus est, contra eum lata sententia, juri tuo officere non potuit: nec ea quæ ab eo gesta sunt, ullam firmitatem obtinent. Frustra ergo in integrum restitutionis auxilium desideras: quando ea, quæ ab eo gesta sunt, qui legitimi administratores personam sustinere non potuit, ipso jure irrita sunt. — S. 18 kal. novemb. Nicomediæ, CC. Conss. 294.

5. Imp. Justinianus A. Joanni P. P.

Sancimus favore imperfectæ ætatis exceptionem non numeratæ pecuniæ

D. de adopt.; L. 47, D. de re judic. — Tit. XL. — 1. Adde L. 4, inf. arbit. tut. — 2. L. 7, § 9, D. de minor.; L. 8, § 6, inf. de bon. que liber. — 3. L. 6, inf. de collat. — Tit. XLI. — 1. L. 6, inf. de his, quib. ut indign. — 2. L. 8, in fin. D. de inoff. adde L. 1, supr. de restit. in integ. — 3. L. 5, inf. de act. empt.; L. 1, § ult. D. de usur.; L. 87, § 1, D. de legat. 3. — 4. Inf. de tut. vel curat. qui satis non dedit. — 5. Arg. L. 24, in fin. supr. de procur.

ab initio minoribus non currere; ne, dum in integrum restitutionem expectamus [vel] aliquid emergat obstaculum, per quod hujusmodi beneficio minor uti non possit, vel substantia ejus subvertatur. Sed humanus est, latius eandem legis interpretationem extendere, in omnibus casibus, in quibus vetera jura currere quidem temporales præscriptiones adversus minores concesserunt, per in integrum autem restitutionem eis subveniebant, eas ipso jure non currere: melius etenim intacta eorum jura servari, quam post causam vulneratam remedium quærere: videlicet exceptionibus triginta, vel quadraginta annorum in suo statu remanentibus. — Dat. kal. novemb. Constantinop. post LAMPADIUM et ORESTEM VV. CC. Conss. 331.

TIT. XLII.

QUI ET ADVERSUS QUOS IN INTEGRUM RESTITUI NON POSSUNT.

1. Imp. Alexander A. Cononidi.

In consilio quidem cognoscentis de restitutione in integrum esse oportet, num is, qui se minore annis læsum esse dicit, diligens paterfamilias fuerit, actibusque publicis industriam se docuerit, ut lapsum eum per ætatem verisimile non sit. Verum si causa cognita circumventus deprehendatur: propter hoc solum velut præscriptione a solito auxilio moveri non debet, scilicet quod urgentibus patriæ necessitatibus decurio minor annis creatus sit, vel prorogandæ soboli liberorum educatione prospexerit. — P. P. 10 kal. oct. Lupo et Maximo Conss. 253.

2. Imp. Justinianus A. Joanni P. P.

Cum apud veteres dubitabatur, an liberi parentes suos, vel liberti patronos in querimoniam deducere possent, quasi non rite in eos versatos: quidam existimabant, nullam esse contra hujusmodi personas in integrum restitutionem, pondere naturali, vel patronali reverentia hujusmodi petulantia refragante; nisi vel ex magna causa, vel adversus turpem eorum personam: alii autem personarum quidem, vel causæ distinctionem respiciendam [esse] censuerunt; tunc autem tantummodo dandam esse restitutionem putaverunt, cum minor ex sua simplicitate se deceptum, non ex dolo patris, vel patroni circumscriptum esse diceret. Sed ut maneat in omnibus honor parentibus, [et] patrono, vel patronæ illibatus, atque intactus: sancimus, nullo modo, neque adversus parentes utriusque sexus, neque adversus patronum, vel patronam dari restitutionem: cum personarum reverentia omnem eis excludit restitutionem: cum proculdubio sit, etiam ipsas personas cavere, ne quid suæ opinioni contrarium existat. — Dat. kal. sept. Constantinop. post consulatum LAMPADI et ORESTIS VV. CC. 331.

TIT. XLIII.

SI MINOR SE MAJOREM DIXERIT, VEL [MAJOR] PROBATUS FUERIT.

1. Imp. Alexander A. Maximianæ.

Si cum minor annis vigintiquinque esses, tabulis quæ sunt tuarum professionum, oblati tibi, ætatem quasi major annis vigintiquinque decepti probasti, in integrum restitutionem intra statutum legibus tempus, etiam post impletam ætatem, de omnibus intra [eam] ætatem adversus te gestis, postulare apud eum, cui de ea re jurisdictio est, potes. — P. P. 12 kal. april. Maximo et Paterno Conss. 254.

2. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Vitaliano.

Si is, qui minorem nunc se [esse] adseverat, fallaci majoris ætatis mendacio te deceperit, cum juxta statuta juris errantibus non etiam fallentibus minoribus publica jura subveniant, in integrum restitui non debet. — Dat. 3 kal. dec. Diocletiano 2 et Maximiano AA. Conss. 293.

3. Idem, AA. et CC. Theodora.

Si alterius circumveniendi causa, minor ætate majorem te probare aspectu laboraveris, cum malitia suppleat ætatem, restitutionis auxilium, tam sacris constitutionibus, quam rescriptorum auctoritate denegari sta-

6. Immo vide L. 3, inf. quib. non objic. — 7. L. 5, inf. de prescript. 30 vel 40 annor. — Tit. XLIII. — 1. L. 21, § 5; § 4; L. 44; D. de minor. — 2. L. 13, inf. de admin. tut. — 3. L. 27, in fin. D. de minor. — 4. L. 11, § 1; D. de dolo; L. 4, § 16, D. de doli mali et met. except.; L. 7, D. de olascq. — 5. N. 155, c. 1. — 6. Vide tamen L. 11, in fin. D.; L. 6, supr. de dolo. — 7. Immo vide L. 2, supr. si advers. rem judic.; L. 2, supr. si advers. donat.; L. ult. inf. de bon. que liber. — Tit. XLIII. — 1. L. 5, supr. de restit. in integ. — 2. L. 37, § 1, D. de minor.; L. 2, § 3,

tutum est. Quod si per injuriam, vel circumventionem adversarii hoc fuerit factum: durabit beneficium, quo minoribus causa cognita subveniri solet. Aditus itaque præses provinciæ, probationis ætatis examinata causa; si tuum dolum non repererit intercessisse, ac te minorem [tunc] fuisse probaveris; causa cognita in integrum restitui providebit. Si tamen in instrumento, per sacramenti religionem, majorem te esse adseverasti: non ignorare debes, exclusum tibi esse in integrum restitutionis beneficium: nisi palam et evidenter ex instrumentorum probatione, non per testium depositiones, te fuisse minorem ostenderit. Hujusmodi autem sacramento corporaliter præstito nullum tibi superesse auxilium, perspicui juris est. — Dat. 15 kal. oct. Sirmii, CC. Conss. 294.

4. Idem, AA. et CC. Labio.

Cum circa probandum annorum numerum, apud rectorem provinciæ erratum esse proponas, et in hujusmodi causis etiam filiisfamilias minoribus subveniri admissum sit: ea, quæ in prece contulisti, præsidem provinciæ examinare convenit: qui, si æstimata ætate tua majorem annis falsa opinione te præsumpsisse ex probationum luce cognoverit, erga minoris personam fidem veri sequetur. — Dat. 6 idus decembr. CC. Conss. 294.

TIT. XLIV.

SI SÆPIUS IN INTEGRUM RESTITUTIO POSTULETUR.

1. Imp. Severus et Antoninus AA. Romano, et aliis.

[Si] post sententiam proconsulis contra vos latam desiderastis in integrum restitui, nec obtinuistis: frustra rursus, ut ea quæstio [in integrum restitutionis] agitur, desideratis; appellare enim debuistis si vobis sententia displicebat: sed si adhuc in ea ætate estis, cui subveniri solet, appellandi jus vobis restituumus. — P. P. 5 kal. August. Chilone et Libone Conss. 208.

2. Imp. Alexander A. Justo militi.

Quamquam curatores pupillæ victi sunt, cum in integrum restitui pupillam desiderabant: cum tamen novis defensionibus causam instrui posse dicas, audeant curatores uxoris tuæ judicem, et petant, ut causas in integrum restitutionis agant. — P. P. 5 kal. Aug. Alexand. A. 2 et Marcello Conss. 227.

3. Imp. Philippus A. Anitiæ.

In una eademque causa iteratum in integrum restitutionis auxilium non jure, nisi novæ defensiones prætendantur, posci, sæpe rescriptum est. — P. P. 2 kalend. Jul. Peregrino et Emiliano Conss. 245.

TIT. XLV.

DE HIS QUI VENIAM ÆTATIS IMPETRAVERUNT.

1. Imp. Aurelianus A. Agatholici.

Eos qui veniam ætatis [a principali clementia] impetraverunt, etiamsi minus idonee rem suam administrare videantur, in integrum restitutionis auxilium impetrare non posse, manifestissimum est: ne hi, qui cum eis contrahunt, principali autoritate circumscripti esse videantur. — P. P. kalend. Jul. Aureliano A. et Capitolino Conss. 278.

2. Imp. Constant. A. ad Verinum P. P.

Omnes adolescentes, qui honestate morum præditi paternam frugem, vel avorum patrimonia gubernare cupiunt, et super hoc imperiali auxilio indigere cœperint, ita demum ætatis veniam impetrare audeant, cum vicesimi anni metas impleverint: ita ut post impetratam ætatis veniam iidem ipsi per se principale beneficium allegantes, non solum per scripturam 5 annorum numerum probent, sed etiam testibus idoneis advocatis, morum suorum instituta, probitateque animi, et testimonium vite honestioris edoceant. — § 1. Feminas quoque, quas morum honestas, mentisque solertia commendat, cum octavum et decimum annum egressæ fuerint, veniam ætatis impetrare sancimus. Sed eas, propter hunc egressum ac verecundiam feminarum, cætui publico demonstrari non cœdemus: sed præcepta ætatis venia annos tantum [ætatis] probari [posse]

D. ad SC. Vellej.; L. 110, D. de R. J. — 3. L. 55, D. de minor. — 4. L. 1, supr. si advers. vendit.; L. 9, § 4, D. de jurejur. — 5. L. 7, supr. de restit. in integ. — Tit. XLIV. — 1. Supr. si advers. rem judic.; L. 7, § 11, D. de minor. — 2. L. 1, supr. h. l. — Tit. XLV. — 1. Adde N. Leon. 28; L. 5, pr. D. de minor. — 2. Abrog. d. N. Leon. 28. — 3. L. 1, supr. si minor se major; L. 13, D. de probat. — 4. Adde L. ult. inf. de recept. arbit.

testibus [quinque] vel instrumentis misso procuratore concedimus: ut ipse etiam in omnibus negotiis tale jus habeat, quale et maris habere præscripsimus; ita tamen, ut prædia sine decreto non alienent. — § 2. Sed senatores quidem clarissimi viri in hac regia urbe commorantes apud sublimitatem tuam: ceteri vero apud prætorem, in provinciis autem omnes apud earum rectores de suis moribus et honestate perdoceant. — § 3. Hi vero, qui contra memoratam dispositionem veniam ætatis a principali clementia impetraverint, sciant eam nullas vires obtinere. — Dat. 5 kalend. Jul. Romæ, CRISPO 2 et CONSTANTINO Cæs. 2 CONSS. 521.

3. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

Eos qui veniam ætatis a principali clementia impetraverunt, vel impetraverint, non solum alienationem, sed etiam hypothecam minime posse sine decreti interpositione rerum suarum immobilium facere jubemus, in quarum alienatione vel hypotheca decretum illis necessarium est, qui necdum veniam ætatis meruerunt: ut similis sit in ea parte conditio minorum omnium, sive petita sit, sive non ætatis venia. — Dat. 8 id. april. DECIO V. C. CONSS. 529.

4. Idem, A. ad Senatam.

Si quis aliquid dari vel fieri voluerit, et legitime ætatis fecerit mentionem, vel [si se] absolute dixerit perfectæ ætatis; illam tantummodo ætatem intellectam esse videri volumus, quæ et vigintiquinque annorum curriculum completur, non quæ ab imperiali beneficio suppletur: et præcipue quidem in substitutionibus vel restitutionibus hoc intelligi sancimus; nihilominus tamen et in aliis: nisi specialiter quisquam addiderit, ex venia ætatis velle aliquid procedere. — Dat. 9 kal. april. LAMPADIO et ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

TIT. XLVI.

SI MAJOR FACTUS RATUM HABUERIT.

1. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Eutyichiano.

Si inter minores quinque et viginti annis vel scriptura interposita, vel sine scriptura facta sine dolo divisio est, eamque post legitimam ætatem ratam fecerint; manere integram debere convenit. — S. 8 kal. Maji, AA. et CONSS. 295.

2. Idem, AA. et CC. Sortiri.

Qui post vigesimumquintum annum ætatis ea quæ in minore ætate gesta sunt, rata habuerint: frustra rescissionem eorum postulant. — Dat. id. febr. CC. CONSS. 294.

TIT. XLVII.

UBI ET APUD QUEM COGNITIO IN INTEGRUM RESTITUTIONIS AGITANDA SIT.

1. Imp. ANTONINUS A. Severo.

Si quid a procuratore meo iudicatum est, id per in integrum restitutionem prædisis sententia non potest rescindi: princeps enim solus contra sententiam procuratorum suorum in integrum restituere solet. — P. P. 6 kal. decemb. LETO et CEREBALI CONSS. 216.

2. Imp. DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS AA. et CC. Aquilina.

Quoniam ea, quæ in transactione dari placuerat, te tradidisse proponis: consequens est, si de his repetendis per [in integrum] restitutionem, vel quamcumque aliam causam putaveris agendum: ejus adire te provincie præsidem, in qua domicilium habent quos convenis. — Dat. 5 kal. septemb. cap. post tertium consulatum LAMPADII et ORESTIS 531.

3. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

Cum scimus esse dubitatum de restitutionibus, quæ in integrum postulantur; sive tantummodo apud iudicem, cui aliqua jurisdictio est, examinari eas oportet, sive apud pedaneos iudices: sive eas minores vigintiquinque annis petierunt, sive majores, secundum quod anterioribus sanctionibus, vel veteris juris, vel nostris declaratum est: sancimus, non solum apud iudices pro tribunali hujusmodi causæ cognitionem proponi,

5. d. N. Leon. 28, in fin. — 6. Infr. de præd. et al. reb. minor. — 7. L. 50, in fin. D. de legat. 3. L. ult. D. de condit. et demonstr. — Tr. XLVI. — 1. Adde infr. Lib. 5, tit. 74. — 2. L. 17, l. 21, supr. de pact. l. 9, infr. de fide instr. — 3. Atrog. l. 3, § 2, D. de minor. — 4. L. 1, supr. h. t.; d. L. 3, § 1; L. 30, D. de minor. — Tr. XLVII. — 1. Adde L. 2, § 2, supr. de his qui ven. ætat. — 2. L. 3, supr. si adv. rem judic. — 3. Confer. L. 34, in fin. D. de minor.

sed etiam apud eos iudices, quos Augustalis dederit majestas, aut nostræ reipublicæ administratores, vel in hac regia urbe, vel in provinciis: ut videatur ipse qui iudicem destinaverit, utpote pro tribunali cognoscens, in integrum dare restitutionem, et causas ejus examinare: sic etenim non difficilis erit causarum examinatio. Sed ne quis ita effuse intellectum nostræ constitutionis audeat esse trahendum, ut etiam apud compromissarios iudices, vel arbitros ex communi sententia electos, vel apud eos qui dantur a iudicibus, qui propriam jurisdictionem non habent, sed tantummodo iudicandi facultatem, putet hujusmodi extendi sanctionem: hos tantum generaliter volumus tales causas dirimere, qui vel certæ administrationi, cui et jurisdictio adhæret, præpositi sunt, vel ab his fuerint dati: et multo magis si a nostra majestate delegata eis sit causarum audientia. Sed ne quid penitus dubitandum relinquatur, et hoc addendum esse censemus, ut his tantum, quos supra enumeravimus, liceat de in integrum restitutione disceptare, sive hoc specialiter eis fuerit mandatum (quod et veteribus non fuerat incognitum) vel si generaliter dati sunt iudices, vel in aliis speciebus incidit quædam quæstio restitutionis. — Dat. 5 kal. septemb. post consulat. LAMPADII et ORESTIS VV. CC. 531.

TIT. XLVIII.

DE REPUTATIONIBUS QUÆ FIUNT IN JUDICIO IN INTEGRUM RESTITUTIONIS.

1. Imp. ANTONINUS A. Tatiano.

Qui restituitur in integrum, sicut in damno morari non debet, ita nec in lucro: et ideo quicquid ad eum pervenit, vel ex emptione, vel ex venditione, vel ex alio contractu: hoc debet restituere. — § 1. Sed et si intercessor minor vigintiquinque annis intervenerit, in veterem debitorem debet restitui actio. — § 2. Sed et cum minor adit hereditatem, et restituitur: mox quicquid ad eum ex hereditate pervenit, debet præstare: verum et si quid dolo ejus factum est, hoc eum præstare convenit. *Sine die et consule.*

TIT. XLIX.

ETIAM PER PROCURATOREM CAUSAM IN INTEGRUM RESTITUTIONIS AGI POSSE.

1. Imp. ALEX. A. Licinio.

Causam in integrum restitutionis, si qua competit, etiam per procuratorem agi posse placet. — Dat. 13 kal. octob. POMPELIANO et PELICNO CONSS. 232.

TIT. L.

IN INTEGRUM RESTITUTIONE POSTULATA, NE QUID NOVI FIAT.

1. Imp. GORD. A. Secundino militi.

Postulata in integrum restitutione, omnia in suo statu esse debere, donec res finiat, perspicui juris est: idque curabit is, ad cujus partes ea res pertinet. — P. P. 12 kal. Jul. GORDIANO A. et AVIOLA CONSS. 240.

TIT. LI.

DE RESTITUTIONIBUS MILITUM, ET EORUM QUI REIPUBLICÆ CAUSA ABSUNT.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. Chiloni.

Si Valerianus centurio cohortis duodecimæ Alpinorum ante vita decessit, quam [bonorum] possessionem acciperet, heres ejus ex persona defuncti restitutionis auxilium intra annum utilem ita recte implorabit,

Tr. XLVIII. — 1. Lib. 24, § 4, D. de minor. — 2. Immo vide L. 7, § 8, D. d. t. — 3. L. 48, pr.; l. ult. D. d. t. — 4. Vide enim supr. si min. ab hered. — 5. Arg. L. 2, supr. si minor se maior. — Tr. XLIX. — 1. L. 25, § 1, D. de minor. — Tr. L. — 1. Adde L. 3, infr. de appell. — Tr. LI. — 1. Adde Lib. 4, D. tit. 6. — 2. L. ult. infr. de temp. in integr. restit.

si Valerianus post exactos dies, quibus bonorum possessio deferretur, in militia defunctus est. — P. P. kal. novembr. LATERANO et RUFINO CONSS. 198.

2. Imp. ALEXAND. A. Petronio centurioni.

Si quid de bonis eorum, qui reipublicæ causa absentes sunt, deminutum est, actione qua competente eis, aliquis liberatus fuit, in integrum restitutum perpetua jurisdictione intra annum utilem permittitur. — P. P. 15 kal. novembr. ALEX. A. 2 et MARCELLO CONSS. 227.

3. Idem, A. Flavio Aristodemo militi.

Quod tempore militiæ de bonis alicujus possessum ab aliquo est, postquam is reipublicæ causa abesse desiit, intra annum utilem amota præscriptione temporis mediæ possessionem vindicare permittitur: ultra autem jus possessoris lædere contra eum institutum non oportet. — P. P. non. Januar. MAXIMO 2 et ÆLIANO CONSS. 224.

4. Imp. GORD. A. Mastriano.

Ignorare non debes, eorum qui reipublicæ causa sine dolo malo absunt, si absentes boni viri arbitrato non defenduntur, bona tantum post venditionem autem in id tempus differri, quo reipublicæ causa abesse desiderint. — Dat. 12 kal. Jan. GORDIANO A. et AVIOLA CONSS. 240.

5. Idem, A. Secundino militi.

Neque reipublicæ causa absentibus, neque aliis majoribus ad titulum in integrum restitutionis pertinentibus, præscriptionem quadriennii post factam a fisco venditionem obesse [posse] manifestum est. — P. P. 6 id. Maji, SABINO et VENUSTO CONSS. 241.

6. Imp. VALERIAN. et GALLIEN. AA. Germano centurioni.

Si, cum militaribus laboribus operam dares, creditoris tui heredes possessiones sibi obligatas distraxerunt, poteris adito præside provincie in integrum restitutionem impetrare, retractataque venditione, recipiens possessiones, oblati ante [debito, vel] pretio, si minus debito fuisset. — P. P. 4 non. april. VALERIANO et GALLIENO AA. CONSS. 235.

7. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Marinæ.

[Ea] quæ a patre geruntur, non decet pro disciplina militari a filiis ad irritum revocari: præsertim, cum nec patrem tuum in rebus humanis agentem affirmes conquestum fuisse super hujusmodi contractu. — Dat. non. febr. CC. CONSS. 294.

8. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

Sancimus, his solis, qui in expeditionibus occupati sunt, ea tantummodo tempora, quæ in eadem expeditione percurrunt, tam in exceptionibus declinandis, quam in petendis in integrum restitutionibus, eis optulari: illis temporibus, per quæ citra expeditionis necessitatem in aliis locis, vel in suis ædibus degunt, minime eos ad vindicanda memorata privilegia adjuvantibus. — Dat. 6 id. april. CONSTANTINOP. DECIO V. C. CONSS. 529.

TIT. LII.

DE UXORIBUS MILITUM ET EORUM QUI REIPUBLICÆ CAUSA ABSUNT.

1. Imp. ALEXAND. A. Secundinæ.

Temporalibus actionibus exclusis mulieribus, quæ cum maritis reipublicæ causa absentibus peregrinate sunt, ad exemplum militum subveniri solere non est ignotum. — P. P. 3 non. decembr. ALEXANDRO A. 2 et MARCELLO CONSS. 227.

2. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Quintiliano.

Ei quæ diutissime fuit cum marito, qui militiæ operam dabat, non officit præscriptio longi temporis: sed quia hujusmodi diutina absentia commenta callide adhibita, atque composita obesse omnino non debent: decernimus, ut si talis mulier domum ad se pertinere monstraverit, quæ in absentia ejus vendita est, refuso pretio, quod revera solutum est, eandem recipiat. — Dat. 8 kal. decembr. ipsis AA. et CONSS. 295.

3. L. 1, D. ex quib. caus. maj. — 4. d. l. ult. — 5. L. 40, D. ex quib. caus. maj. — 6. d. l. ult. infr. de temp. in integr. restit. — 7. L. 6, § 1, D. quib. ex caus. in possess. l. ult. in fin. D. de reb. auctorit. jud. poss. — 8. § ult. Inst. de usucap. — 9. L. 4, supr. h. t. — 10. Adde L. ult. infr. de testam. mil.; l. 15, § 2, D. ex quib. caus. maj.

TIT. LIII.

DE TEMPORIBUS IN INTEGRUM RESTITUTIONIS, TAM MINORUM, ET ALIARUM PERSONARUM, QUÆ RESTITUI POSSUNT, QUAM ETIAM HEREDUM EORUM.

1. Imp. GORD. A. Pudenti militi.

In his, in quibus latus es, cum minor annis vigintiquinque esses; toto militaris expeditionis tempore auxilium restitutionis postulare potes: tempus etenim post impletam minorem ætatem præstitutum, ex die missionis juxta rationem juris computari debet. — P. P. 3 non. octob. PIO et PONTIANO CONSS. 239.

2. Idem, A. Secundino militi.

Si intra legitimam ætatem, vel ea impleta nondum exacto tempore præstituto, pater tuus in fata concessit, tuque ei heres exististi, et intra vigintiquinque annos, vel post eam ætatem intra id tempus, quod ad in integrum restitutionem defuncto supererat, nomen militiæ dedisti: præses provincie, causa cognita, per in integrum restitutionem ex persona defuncti subveniri tibi providebit. — Dat. 11 kal. novembr. Pio et PONTIANO CONSS. 239.

3. Idem, A. Mutiano militi.

Si intra annos, quibus in integrum restitutionis auxilium indulgetur, constitutus es, vel eo tempore nomen militiæ dedisti, et expeditione occupatus es, continuatum beneficium restitutionis, per usucapionem, licet ante militiam suppleta sit, non patitur te dispendio rei familiaris affligi. — Dat. kal. novembr. Pio et PONTIANO CONSS. 239.

4. Imp. DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS AA. et CC. Dionysio.

Ex persona fratrum, si tibi eorum quesita est successio, potes contra quem supplicas, agere: non ignorans quod si minores vigintiquinque annis militaverint fratres tui, atque in militia diem functi sunt: in integrum restitutionis tempus eis non cesserit, sed omne ad successorem transmiserint. — S. 8 kalend. Januar. PHILIPPOPOLI, CC. CONSS. 294.

5. Imp. CONSTANTINUS A. ad Bassum P. P.

Ea quæ de temporibus in integrum restitutionum legibus cauta sunt, custodiri convenit: et si forte quis beneficio nostro ætatis veniam fuerit consequutus: ex eo die, quo indulgentia nostra in iudicio competenti fuerit intimata, eique administratio rei propriae permessa, ad persequendas in integrum restitutionum, finiendasque causas jure tempus habeat præstitutum: [ita tamen, ut nunquam minoribus vigintiquinque annis constitutus, de his, quæ ante impetratam veniam ætatis gesserunt, auxilium in integrum restitutionis denegetur.] — § 1. Si quando sane in minoris jura successerit minor: minime prohibeatur, cum quintum et vicesimum suæ ætatis annum transierit, in integrum restitutionis beneficio uti tempore illibato. — § 2. Quod si majoris fuerit minor jura nactus; quantum ad eas pertinet causas, quas ex persona majoris fuerit consecutus; tantum temporis ad exponendas in integrum restitutiones decidendasque causas accipere debet, quantum defuncto, cujus heres aut bonorum possessor docebatur existisse, reliquum fuerat. — § 3. Cum vero major successione fuerit adeptus minoris: si quidem civili jure ab intestato, vel ex testamento successerit, mox cum fuerit adita hereditas: si vero honorario jure, ex quo bonorum possessio fuerit accepta, examinando [ac terminando] in integrum restitutionis negotio, solida sine ulla diminutione tempora suppetentur. — Dat. non. octob. Romæ, CONSTANTINO A. et LICINIO Cæs. utrisque 2 CONSS. 312.

In AUTHENT. de temp. non solut. pecunie super dote, § generaliter, coll. 8, tit. 1, al. col. 7, tit. 10, seu Nov. 100, cap. 2.

Si minor vigintiquinque annis de dote cauta non numerata statim non queritur; restituitur eatenus, ut non transcendat a tempore nuptiarum duodecimum annum. Eo quoque mortuo intra prædictum tempus, indulgetur annus heredi ejus. Sed si heres sit minor majoris, seu minoris defuncti, quinque annorum gaudeat spatio, non expectato exitu ætatis ejus.

6. Idem, A. ad Julianum præfectum urbi.

Petendæ in integrum restitutionis temporibus observatis, si dilatio ab actore petatur, quæ intra metas restitutionis valet artari: eandem quoque flagitante, causis cognitis tribui oportebit. Sin vero ejusmodi postulantur curricula, quæ intra spatium receptum angustari nequeunt:

Tr. LII. — 1. L. 1, pr. supr. de reputat.; l. 6, supr. tit. prox. — Tr. LIII. — 1. L. 5, § 4, 2, 3, infr. h. t. — 2. L. 1, supr. eod. — 3. Supr. de his qui ven. a tat. Juncia N. Leon. 28. — 4. L. 19, D. de minor.; l. ult. in fin. infr. si maj. fact. alienat. fact. sine decret.